

THEODORVS BRAND CONSVL BASILIENSIS.



Theodorus natus est in inclyta urbe Basilea, patre Bernhardo senatorij ordinis viro, Anno millesimo quadringentesimo octuagesimo octauo. Cum is præclara indeole præditus esset, & pueris literis operam dedit, & earum sibi in scholis triuialibus talem notitiam comparauit, ut postea semper Latinè loquentes cum ipsis authoribus Latinis plerisque in locis intelligeret. Deinde uero patris artificiū Chirurgiam & tonsoriam artem didicit, atque reliquos eius generis homines sua industria longè superauit. Postea quoque Heluetiorum castra secutus, Nauarrensi prelio memorabili 1513 interfuit, atq; in eo loco & in Bigockensi

pugna suæ fortitudinis præclara monumenta reliquit. Inde in patriam rediit, atque Christina, Huldrici Kœsin senatoris filia, uxore ducta, patrem familias agere coepit, & fœlici prole exornatus fuit. Interea pater moritur, atque ipse ob suas uirtutes in eius locum in Senatum cooptatur.